

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ tertiâ menſis Februarii, anno Domini M.DCC. LXXXVI.

M. CLAUDIO-JOSEPHO GENTIL, Militarium Noſocomiorum ad Regis Exercitum Medico, Doctore Medico, Præſide.

An lacteis Staſibus Draſtica?

I

UNICUS eſt omnibus vitæ terminus: ſed mille patent ad tumulum aditus. Uniuſcujuſque noſtrûm non eadem urna fatum movet, ſuamque ſignat victimam morbus quiſque lethi miniſter.

Fœminarum præſertim lugenda conditio: dum enim in illas morborum quibus objecti ſumus vis & ſævities debacchatur, ſuis nihilominùs torquentur ærumnis, duplici velut ſub pondere fatiſcentes: ità ut, quod fecit amabilius natura, fecerit ſimul & miſerabilius. Vix florente juventâ, cachexiâ vel chloroſi tentatur puella, variiſque obruitur incommodis à menſtruali purgatione oriundis. Mox,

virginei pertæsa floris, conjugis in amplexus gestit convolare, dulcesque optat natos, Veneris & prœmia noscere. Sed quanto pretio sæpiùs emitur matris nomen? quot noxas infert graviditas, puerperium, infantium lactatio, vel potiùs nostris dedignatum temporibus lactandæ prolis munus? Grave scilicet malum infirmitati vestræ superadditis lubentes, o quæcumque, sanctissimum abnuentes maternitatis officium, vestro non nutritis lacte, vestro quos procreastis sanguine. Vosmet-ipsas igitur, non naturam incusate, quando retropulsi humoris lactei effervescentiâ discruciamini. Quidquid accidit tunc pessimi, vestrum est. Sed quid ego?... Numquid obliviscar ad id duntaxat informari virum Medicum, ut spargat solatia, humanisque miseriis quantùm potis est levamen afferat? Satis ergò nobis sit, si drasticorum ope tutò debellari stases lacteas probaverimus.

I I.

NONDUM in lucem prodiit infans: nondum vitale stadium vagitibus & lacrymis auspicatus est, cùm jam illius conservationi prudens natura consuluit. Pauperculi nimirùm egestatem miserata, dulcissimas huic dapes, opimam lactis annonam materno in sinu paravit. Sed utinam illud oculis nostris frequentiùs obversaretur, quod his in terris venerabiliùs spectari potest: utinam recèns nato ubera sua porrigeret quæque mater, ut indè puros, mollitèr ille premens eliceret latices, vitæque subsidium, conviva dilectissimus, hauriret.

Jam verò, cuilibet rem medicè perpendenti, manifestò apparebit, reciprŏcam, lactationis ope, institui nutricem inter & alumnum beneficii velut mutuationem. Sic utrique florens ac vegeta conciliatur valetudo. Verùm, si tam dulci, tamque utili se subducant commercio matres, tunc in illarum vertitur perniciem naturæ providentia, ultricique obrutæ morborum catervâ, tristibus quandoque pœnis suam luunt impietatem. Cùm enim blandî suctûs irritatione, lacteus ad mammas non accersitur humor, intùs æstuat ille, carceris impatiens, atque in omnia secretionum organa furibundus irrumpens, quamcumque sibi tentat aperire viam: variis intereà & quidem gravissimis symptomatibus interni deprehenduntur irarum tumultus. Nunc languent effætis viribus ægrotantes, nunc portentosis veluti somniorum phantasmatibus exagitatæ, repentino terrore contremiscunt. Mens illis anxia, mœrens animus. Continuo mammarum, capitisque dolore gravantur. Adest insuper œdematosæ cutis albedo, potiùs quam pallor, viresque suas hosti expellendo impendere naturam satis testantur pulsus febrilis, latèque diffusus lactis acescentis odor. Quid plura? si per sudores & alvinas dejectiones lac tandem non diffluat, tunc errabundo veluti cursu defatigatum, varias corporis partes, hospitium quæritans, aggreditur; mox debiliorem sui juris facit, ibique sævissimam exercet tyrannidem.

I I I.

VARIOS inter humores qui a sanguine secernuntur, hos voluit natura resarciendæ partium jacturæ, viribusque reficiendis ex toto impendi, illos, ut inutiles, immò & noxios, omninò eliminari, alios demùm, mixtum sortitos utriusque generis conditionem, partim retineri, partim egeri. Jam verò, mirissimam etsi lac è mammis eductum chyli præ se ferat indolem, spectandum nihilominùs illud est enixis in mulieribus, humorem tanquàm prorsùs excrementitium, quo quidem retento malorum sobolescit ilias. Sed quam multiplices P[illegible] ille formas induit, quamque diversâ quascumque corporis partes obsidione premit!

Nunc obstruens contermina membranis vasa, pertinacem laryngis aut bronchiorum gignit catarrhum: nunc intimum pervadens glandularum parenchyma secretorios illarum ductus stagnando præcludit; & quid indè? prominet primùm ad cutim tumor exiguus: paulatim ille, aucto caloris dolorisque sensu, distenditur: peractâ verò, congestæ materiei coctione, cum nullus propter genuinam partium fabricam excretioni pateat aditus, mox in ipso obstructæ glandulæ centro disrupta vasa, ibidem purulentam evomunt lactis illuviem, quæ quidem acrior in dies evadens, carceris sui erodit parietes, donec extrorsùm erumpat. Neque solas credideris fœmineo in corpore membranas aut glandulas, tantis esse vexationibus obnoxias. Ex eâdem torpescentis lactis depravatione, sæviunt etiam in musculos rheumatismus, arthritis in articulos, acutissimique ipsas in ossium medullas dolores. Nulla tandem causa plures, flebilioresque parit effectus, nulla proindè Medicorum sagacitatem, industriamque citiùs exposcit.

I V.

COGNITIS morborum de quibus hìc agitur naturâ, causisque, superest ut illis profligandis congrua adhibeatur Therapeia. Porrò cum in lacteis, sicut in serosis stasibus, eò præsertim omnis debeat curandi ratio collimare, ut ocissimè per alvum stagnantis evacuetur humoris congeries, nulla sanè hunc scopum feliciùs attingunt Pharmaca, quam quæ, propter illam quâ pollent energiam, drastica dicuntur. Herculeo scilicet quandò opus est conamine, ut altè infixi eruantur mali radices, quid ex illis, quæso, benignæ indolis, sperandum medicaminibus, quæ innocuo velut attactu, intimas tantùm allambendo intestinorum tunicas, illis obductam vix secum queunt trahere saburram? Plus sanè nocent quàm prosunt. Dum enim, illa in usum advocando, pretiosum teritur tempus, morbus ingravescit, moxque irritam artem ridet inexpugnabilis. Drastica verò, tubum intestinalem mordicanti vellicando irritatione, variis procul in corporis partibus nidulantes lactis grumulos, hunc in locum felici revulsione arcescunt, repentinâque catharsi eliminant. Cœterùm longiùs hìc foret, clinicas enumerare observationes, quibus Praxeos hujus constat efficacia (*a*).

Sed cum medicaminum vires soli valeant expendere Medici, soli etiam discernere possunt, quibusnam in casibus, quânam dosi, & quonam sint illa præbenda modo. Nec sanè credulum toties deciperetur vulgus, si semper meminisset, optima quæque specifica ignaras inter manus in venenum immutari.

V.

QUIDQUID in curandis stasibus lacteis conferant drastica, objiciunt nonnulli, majorem fœminis inesse irritabilitatem, nervorumque mobilitatem, quam ut impunè tam acres patiantur stimulos. Ex illâ, inquiunt, quâ cient catharsim, irritatione, oriuntur ut potissimum spasmus, convulsiones, tormina, quodque pejoris est ominis, ipsarum schirrhoma glandularum.

Fœminas quidem maximâ donari irritabilitate ultrò fatemur: sed illam, in omnibus fœminei corporis partibus, eodem intensionis gradu vigere negamus. Tubum enim intestinalem, in quem vim suam omnem exerunt drastica, non adeò irritabilem esse probat illa quæ in mulieribus post partum deprehenditur alvi

(*a*) *Opus consule cui titulus : Connoissances nécessaires sur la Grossesse, sur les maladies laiteuses, &c. par Me. Cl. And.* GOUBELLY, *Docteur-Régent de la Faculté de Médecine de Paris.* 1785.

pigrities, quandoque talis, ut paralysi intestina percelli crediderís. Recedant igitur spasmi convulsionumque formidines. Glandularum autem, si quandoque scirrhosa superveniat durities, illud ideò fieri certum est, quià intempestivè, perfectam scilicet antè materiei coctionem adhibita fuere drastica, omnemque tunc culpam, non in medicamen, sed in ipsum medicantem impingendam esse nemo est qui negaverit. Et certè præstantissimis quibusque non est valedicendum remediis, eò quod illa quotidie videamus inconsultò usurpari.

Ergò lacteis Stasibus Drastica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Jacobus SAILLANT.

M. Theobaldus NISON.

M. Jacobus-Franciscus DE VILLIERS, *olim Regis Exercituum Medicus ordinarius in Germaniâ.*

M. Eduardus-Franciscus-Maria BOSQUILLON, *Eques, è Societate Medicâ Edimburgensi, Professor & Censor Regius.*

M. Ludovicus-Carolus-Henricus MACQUART.

M. Joannes-Franciscus-Jacobus ROUSSILLE DE CHAMSERU.

M. Petrus BERCHER, *antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Hispaniarum Infantis, dùm viveret, necnon Regii exercitûs ad Infimum Rhenum in ultimo bello Medicus primarius.*

M. Benjaminus-Ludov. LUCAS DE LAUREMBERT.

M. Ludovicus-Guillelmus LE MONNIER, *Consiliarius Medicus Regis ordinarius Primarius, Regiarum Parisiensis, Londinensis ac Berolinensis Academiarum Socius, in Horto Regio Botanices Professor ac Demonstrator.*

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS-HENRICUS-THEODORUS COZETTE, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author.

A. R. S. H. 1786. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1786.